



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 4. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Deducitur 3. Non esse contra ordinatam caritatem, si nullius peccati gravioris sibi conscius, pro altero moribatur; aut sua omnia opera satisfactoria pro animabus mortuorum offerat, quia damnum, quod inde patitur, aliunde compensatur, scilicet per gloriam majorem, quam in altera propter ejusmodi caritatem acquirit.

*PRINCIPIUM IV.*

*Diliges Proximum tuum, sicut teipsum.*

*Sensus.*

Hoc est, si vis mandatum caritatis de diligendo Proximum complere, eum perinde ut teipsum considera, atque adeo, quod tibi vis, aut non vis fieri, illud & tu facito, vel non facito; nam, ut S. Prosper l. 3. de vit. contempl. rectè dixit, caritas proximi, ut bonum, quod tibi conferri vis, vel conferas Proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & conferas.

*Autoritas.*

Desumptum est ex S. Scriptura Lev. 19. Item Eccl. 3 1. ubi dicitur: *Intellige, qua sunt Proximi tui ex teipso.* Super qua elegantè Ludovicus granat. in tit. Amor prox. sic loquitur: Nihil brevius, nihil utilius dici potuit; quidquid bonum, sive lætum, sive triste aliis evenit, ad te transiit, ut si Proximi tui loco constitue; tunc enim illius proxi-  
mitatem & miseriam velut tuam duces.

*Ratio.*

Quia, cum Proximus noster sit imago Dei & membrum corporis, scilicet Ecclesiæ, merito eadem, quæ Deum diligimus, caritate diligendus est, uti fat clarè S. Joannes 14. indicavit, dum dixit: *Si quis dixerit, quoniam diligis fratrem suum, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligit?*

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. ante omnia cooperandum esse, ubi cooperari potest, ad salutem Spiritualem Proximi; nam, ut rectè Augustinus t. 1. de mor. Eccl. advertit, non diligis Proximum

ximum tuum, sicut te ipsum, si non ad bonum, quò ipse te adducis.

Deducitur 2. Quemvis obligari ad bona sua Proximus in gravi necessitate constituto communicanda; nam, ut Gregorius rectè dixit in hom. quòdam, minus Proximus mare convincitur, qui non cum eo in necessitate, illius est ea, quæ sibi necessaria sunt, partitur; intellige, si non æquitas utriusque sit necessitas.

Deducitur 3. Inimicis facillè condonandam esse offensam, quàm offenderunt, cum eidem quisque sibi etiam fieri voluit, & ideo Christus in oratione Dominica orare nos voluit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

## ARTICULUS VI.

De Principiis ad Iustitiæ virtutem pertinentibus.

### §. I.

DE PRINCIPIIS JUSTITIÆ IN  
GENERE.

#### PRINCIPIUM I.

Cuique jus suum tribuendum.

#### *Sensus.*

Hoc est, nemo prohibendus est, quò minus fructus potestatis directæ, quam habet ad aliquid faciendum, possidendum, vel acquirendum ratione æqualitatis servandæ vel faciendæ inter se & alios.

#### *Authoritas.*

Desumptum est ex Ulpiano in l. 10. ff. de Just. & Inter ubi definit Justitiæ, aitque esse constantem & perpetuam voluntatem cuique jus suum tribuendi. Item ex S. Theodoro q. 85. a. 1. & Arist. 5. Eth. c. 2. ac communi sensu Theologorum.